



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Avitvs Conf. 17. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

reservasse: ex eo tempore cum finem flendi nullum faceret, oculi cum lacrimis extillarunt, tanto parentis dolore, ut vitam abrupturus tibi fuerit, nisi Deus precanti lumē reddidisset. Publicus deinde pœnitentiæ præco factus, reversusque Hierosolymis inusitatā in paternis adibus Mephitin est odoratus. Causam indaganti, ita olere opes, Christus respondit, ceterumque luxus apparatus. Ergo iis quoque abdicatis, Hierosolymitanū iter rudi sago indutus repetiit, ad durissimas leges vitam omnē exigens, maxime postquā sobriè cum viro sacro prudentis linguam vespa aculeo fodit, velut temperantiæ vindex. Posthac enim ad panē & aquā obsonium nullū adhibuit: condimenta tamen celo petebat, sæpe Christū cum Matre habere convivas solitus, quod prodigiis omnibus, quæ plurima patravit, illustrius fuit. Hoc illum contubernium sanctum fecit, miracula probarunt. Mortem an. M. C. LXI. obiit. Nos ejus virtutes taceremus, si sua olim scelera tacuisset. *Ex Phil. Fer.*

S. AVITVS CONF. 17. Junii.

Ostendi utique AVITVM Deus mundo voluit, cui tantam nascenti lucem circumfudit, quantam humani oculi agrè paterentur. Ipse tamen latebras quaesivit Mictianensi monasterio

nasterio abditus, magni nominis famam adeò non affectans, ut nullo se libentiùs quàm Bruti vocabulo compelli audiret, præter spem votumque ad honoratiora munia productus, fugam iteratò iniit, & inter nemorum avia mapale molitus, sibi Deoque vixit, Sed illum nocte intempestâ cælesti radiantem luce subulcus reperit, nullo magno viri incommodo, nisi in eam usque diem clingui, & muto signo crucis loquendi facultatem dedisset: quid enim ille prolixius postea, quàm sui medici laudes loqueretur? Eius præconio proditus, tertiam fugam parabat, nisi Præsulum auctoritate motus, boni publici rationem privatis commodis potiorem habuisset. Ex intervallo cæco lumen, mortuo vitam reddidit, quibus rebus adeò populorum adversus eum accensa studia sunt, ut Aurelianenses Dunensesq; mortui exuviis inhiantes, propè ad arma venerint. Iam castra castris opposita stabant, concursumque fuisset, ni Leusus quispiam summo genere vir furens monuisset, ne crudeli pietate Divum offenderent. Vtinam pari studio pro virtutibus certaretur, quas in medio positas nulli invidet nobilissimas sine dubio omnium Reliquiarum. *Ex Surio.*

S. LEON-